Dialogum a Tacito

Traiani temporibus scriptum es

demonstravit

Bernhard Wutk



Beilage

zum

Jahresbericht des städtischen Gymnasiums zu Span

1887.

1887. Progr. No. 86.

Ad tollendam aliquando inveteratam illam de tempore, quo dialogum Tacitus confecerit, disceptationem haud parvi videtur esse momenti epistula Plinii primi libri vicesima. Quod adhuc neminem vidisse eo magis miror, quod dubitari non potest, quin litterae illae vel isdem interdum verbis easdem fere atque dialogus de eloquentia opiniones exhibeant. Qui quidem conspicuus rerum consensus facile explicatur, si Tacitus, cum amicus litteras illas ad eum dabat, dialogum nondum publicaverat. Etenim perquam inepte putaveris Plinium eisdem argumentis, eisdem interdum verbis, quibus in Dialogo Tacitus uteretur, ab eodem Tacito petiisse, ut de eisdem rebus, de quibus eloquentissime in dialogo diiudicavisset, denuo sententiam proferret. Et legisset procul dubio Plinius Taciti libellum — nempe si in lucem editus esset antequam epistulam illam ad Tacitum mitteret. Quid? quod ipse ita similitudinem naturae tulisse scribit, ut adulescentulo sibi Tacitus maxime imitabilis, maxime imitandus videretur? (Epp. VII, 20, 4.) Ex hoc loco apparet Plinium, qua fuit admiratione amici, dialogum, ne iuvenile quidem si esset Taciti opusculum, per imprudentiam praeterire non potuisse. Et de industria si praeterisset, uno certe verbo, cur id faceret, obiter memorasset vel magno potius verborum tinnitu et ambitu viro litteratissimo et familiarissimo exposuisset.

Primum igitur videndum erit, num recte putem Plinium et Tacitum ita inter se congruere, ut, si ante illam epistulam dialogus esset editus, Tacitus a viro amicissimo de eisdem rebus stultissime interrogatus esset, de quibus publice iam in eandem plerumque sententiam scripserat et quasi responderat. Deinde, quonam anno litterae illae ad amicum missae sint, aperiam. Quae si accurate monstare potuero, ante quem annum dialogus compositus non sit, monstravero. Tum post quem annum Taciti libellus publicatus non sit, ostendere conabor.

Summa autem epistulae Plinianae est haec: Frequentem sibi Plinius cum quodam docto homine et perito disputationem esse scribit, cui nihil aeque in causis agendis ac brevitas placeat. Quam custodiendam esse se confiteri, si causa permittat, sed plerisque actionibus longiore tractatu vim quandam et pondus accedere. Doctum illum hominem Lysiae, Gracchorum, Catonis orationibus brevibus delectari, sese vero Demosthenis, Aeschinis, Hyperidis, Polionis, Caesaris, Caelii, M. Tulli in primis orationes maximas opponere. Quo maior vel bonus liber vel oratio sit, eo esse meliorem. Ille contra putat magnos oratores pauciora dixisse quam edidisse. Plinius in contrariam sententiam exempla proferre studet, cum Cicero vel quadriduo se egisse scripserit. Neque aliud esse actionem bonam, aliud orationem. Sed in universum

sibi iudicanti eam actionem videri absolutissimam, quae maxime orationis similitudinem expresserit, si modo orator iustum et debitum tempus accipiat; quod si a iudice negetur, nullam oratoris, maximam iudicis culpam esse. Adesse huic opinioni leges, quae longissima tempora largiantur nec brevitatem dicentibus sed copiam suadeant. Adicit Plinius, quod usus docuerit, cum frequenter et egerit et iudicaverit et in consilio fuerit. Nam cum alia alios moveant, variaque sint hominum iudicia, omnibus dandum esse aliquid, quod teneant, quod tanquam ex sua quisque inventione profectum adgnoscat. Omnia igitur in causa esse exsequenda et inculcanda, non statim iugulum quasi premendum, sed plurima semina latissime spargenda, ut iudicum ingenia inperspicua et fallacia. quae colligant, habeant. Itaque qui et delectare et persuadere velit, eum copiam dicendi spatiumque desiderare, non brevitatem. Neque enim amputatam orationem, sed latam et magnificam in audientium animis aculeum relinquere. Optimum tamen esse modum, nec infra rem nec supra nec adstrictius nec effusius esse dicendum. Sed si peccetur, magis sibi placere eum, qui immodice et redundanter quam qui ieiune et infirme dixerit. Illum enim excedere materiam et viribus peccare, hunc non inplere et inbellicitate peccare. Quodsi inter crebram et largam et similem nivibus hibernis et inter brevem et abscisam orationem sibi detur electio, illam se, ut divinam et caelestem, malle. Brevem autem orationem inertibus solis esse gratiorem, quorum iudicium non esse respiciendum. Quae cum ita sint, tamen mutaturum se suam sententiam, si Tacitus dissenserit et, cur dissentiat, longissima epistula explicaverit.

Quaecunque autem Plinius hac epistula cursim attingit potius quam exsequitur, ad ea a Tacito, quoad eius in dialogo fieri potuit, accurate esset responsum, si ante illam epistulam dialogus emissus esset. Etenim Aprum et Messallam, quorum uterque diversissimum dicendi genus defendit, in eos increpantes inducit, quibus nihil aeque ac brevitas et antiquorum imitatio placeat. Contra eos Aper declamat haec: (cp. 23, 619.) Neminem nominabo, genus hominum significasse contentus; sed vobis utique versantur ante oculos, qui Lucilium pro Horatio et Lucretium pro Vergilio legunt, quibus eloquentia Aufidii Bassi aut Servilii Nonniani ex comparatione Sisennae aut Varronis sordet, qui rhetorum nostrorum commentarios fastidiunt, Calvi mirantur, quos more prisco apud iudicem fabulantes non auditores sequuntur, non populus audit, vix denique litigator perpetitur, adeo maesti et inculti illam quam iactant sanitatem non firmitate, sed ieiunio consequuntur. Porro ne in corpore quidem valitudinem medici probant, quae animi anxietate contingit, parum est aegrum non esse, fortem et laetum et alacrem volo, prope abest ab infirmitate, in quo sola sanitas laudatur. Ut Plinius, ita Tacitus inimicitias veritus nomina adversariorum, quos vituperat, non ascribit; ut Plinius eos ieiune et infirme dicere censet, ita Tacitus isdem usus verbis infirmitatem eorum et ieiunium reprehendit. (cf. Plin. epp. I, 20, 21.)

Et laudes quoque, quibus Aper amicos effert, cum Plinii opinionibus congruunt, inprimis, quod ubertatem, quotiens causa poscat et quotiens permittat, brevitatem custodiant. (cf. dial. cp. 23, 24. cf. Plin. epp. I, 20, 2.)

Quod vero Plinius postulat, ut iudex iustum tempus oratori concedat, quod copiam dicendi et mille figuras extemporales causidicum praestare vult, ut, cum varia sint hominum iudicia, omnibus aliquid det, quod adgnoscant (§ 10—13), eis apud Tacitum Aper magnam partem assentitur. Quamquam non desunt, quae repugnent et multo magis Messallae verba in

epistulam Plinii quadrare postea videbimus. Repugnant enim opinionibus Plinianis, quae dial. cp. 19 sq. ab Apro in nimiam antiquorum admirationem et imitationem dicuntur. Inde ab divi Augusti temporibus suo iure ab illo vetere atque directa via dicendi oratores flexisse, cum intelligerent cum condicione temporum et diversitate aurium formam quoque ac speciem orationis esse mutandam. Non iam perferri orationum spatia neque quemquam diem eximere posse dicendo. At Plinius laudaverat Tullium, quod pro C. Cornelio quadriduo egisset (§ 8). Quem laturum oratorem de infirmitate valitudinis praefantem, quem quinque in Verrem libros exspectaturum? Nec minus Plinius ab Apro differt, quod Ciceronianam quandam copiam et amplitudinem orationis et figuras extemporales rhetorum praeceptis structas exigit, hic nova oratori et exquisita itinera ingredienda opinatur et cultum exquisitum et poeticum et argutas et breves sententias requirit. Sed quamquam de via et ratione eloquentiae dissentiunt, tamen eo conveniunt, quod uterque id solum spectat, ut et iudici et coronae adsistenti quam maxime probetur. Itaque Aper quoque ut Plinius iterum ac saepius dicit orationes ad audientium aures cum voluptate pervenire oportere. Sic. cp. 19, 24 sq. oratori legimus fastidium aurium esse effugiendum, utique apud eos iudices, qui vi et potestate non iure aut legibus cognoscant, nec accipiant tempora sed constituant, nec exspectandum habeant oratorem, dum illi libeat de ipso negotio dicere, sed saepe ultro admoneant atque alio transgredientem revocent et festinare se testentur. „Praecurrit hoc tempore iudex dicentem et, nisi aut cursu argumentorum aut colore sententiarum aut nitore et cultu descriptionum invitatus et corruptus est, aversatur. Vulgus quoque assistentium et affluens et vagus auditor assuevit iam exigere laetitiam et pulchritudinem orationis, nec magis perfert in iudiciis tristem et impexam antiquitatem, quam si quis in scena Roscii aut Turpionis Ambicii exprimere gestus velit. Jam vero iuvenes et in ipsa studiorum incude positi, qui profectus sui causa oratores sectantur, non solum audire, sed etiam referre domum aliquid illustre et dignum memoria volunt“ etc. Identidem e. g. cp. 21, 5 sq. verba facit Aper contra nimium antiquitatis studium eorum, quorum orationes ossa et maciem prodant. Quid? quod et Calvus et Caelius et Caesar et Brutus et ipse Cicero interdum ei duri et sicci videntur? Maxime autem congruit cum Plinio cp. 21, 35 sq., ubi orationem sicut corpus hominis eam demum pulchram dicit, in qua non emineant venae nec ossa numerentur, sed temperatus ac bonus sanguis impleat membra et exsurgat toris ipsosque nervos rubor tegat et decor commendet. Conferas etiam, quae de oratore absoluto cp. 22,17 sq. ab eodem promuntur: Ego autem oratorem sicut locupletem ac lautum patrem familiae non eo tantum volo tecto tegi, quod imbrem ac ventum arceat, sed etiam quod visum et oculos delectet, non ea solum instrui supellectile, quae necessariis usibus sufficiat, sed sit in apparatu eius et aurum et gemmae, ut sumere in manus et aspicere libeat. Cum his compares ex Plinii epistula § 15—19.

Neque vero quisquam mirabitur, quod multo etiam magis quam Aper Messalla apud Tacitum idem sentiat ac Plinius. Est enim Messalla ex eis, qui similiter ac Plinius (cf. epp. VI, 21,1) antiquos, inprimis Ciceronem sectantur et aemulantur neque sunt contenti eloquentia sui saeculi (Plin. epp. I, 5,11—12). Quam quidem ob affinitatem ingenii Messalla apud Tacitum, ut Plinius in illa epistula, ex Graecis Demosthenem, Aeschinem, Hyperidem ostentat, primas (cp. 25,11 sq.) inter Atticos oratores Demostheni, proximum locum Aeschini et Hyperidi tribuit; ut Plinius ex Romanis Polionem, Caesarem, Caelium, inprimis M. Tullium adversario opponit (§ 4), sic Messalla Ciceronem ceteros eorundem temporum disertos autecessisse, aliis autem

merito Asinium et Caesarem et Caelium anteponi censet. Sed differt a Plinio, quod oratoribus illis Graecis Lysiam et Lycurgum et Romanis Calvum et Brutum adicit, qui, cum aut brevitate aut gravitate dicendi praeter ceteros floruerint, in illa epistula aut minoris aestimantur aut prorsus silentio praetermittuntur. Tacitus autem specie eos dissimiles, genere consentire eandemque omnes sanitatem et optimum perfectissimumque dicendi genus prae se tulisse arbitratur (cf. cp. 25, 21). Ex antiquioribus doctus ille homo apud Plinium Gracchos et Catonem laudat, (§ 4) quorum circumcisas orationes nisi in angustissimis causis Plinius non probat. Messalla autem eis aliisque eorum temporum oratoribus defuisse quaedam ratus (25,34), cum eloquentia adhuc nasceretur, malle se tamen C. Gracchi impetum confi tetur quam calamistros Maecenatis aut tinnitus Gallionis. Adeo melius esse orationem vel hirta toga induere quam fucatis et meretriciis vestibus insignire. Neque enim oratorium istum, immo hercle ne virilem quidem cultum esse, quo plerique actores utantur ita, ut lascivia verborum et levitate sententiarum et licentia compositionis histrionales modos exprimant. Sin vero Plinius sola magnitudine et amplitudine auctoritatem quandam orationibus addi putat, ne ei quidem opinioni Messalla assentitur, cum sint, apud quos adstrictum et collectum et singula statim argumenta concludens genus plus fidei mereatur, alios fusa et aequabilis et ex communibus ducta sensibus oratio magis delectet (cf. Plin. § 4 et 5; dial. cp. 31, 23). Vehementissime vero in suae aetatis disertos invehitur, qui in paucissimos sensus et angustas sententias detrudant eloquentiam velut expulsam regno suo, ut, quae olim omnium artium domina pulcherrimo comitatu pectora implerit, iam circumcisa et amputata (cf. Plin. § 19: amputata oratio et abscisa) sine apparatu, sine honore quasi ex sordidissimis artificiis discatur. Hanc se primam et praecipuam causam arbitrari, cur in tantum ab eloquentia antiquorum oratorum Romani recesserint (cf. dial. 32,18 sq.).

Huc adice, quod Tacitus quoque Messallam consuetudinem iudiciorum sub imperatoribus graviter facit accusantem. Neminem enim olim intra paucissimas horas perorare coactum esse et liberas comperendinationes fuisse et modum dicendi sibi quemque sumpsisse et numerum neque dierum neque patronorum finitum fuisse (dial. cp. 38, 3 sq. cf. Plin. epp. § 10). Sed nunc libertate inde a Pompei temporibus magis magisque restricta iudicem saepe, quando incipias, interrogare et ex interrogatione eius incipiendum, frequenter probationibus et testibus silentium ita indici, ut eloquentia quoque debilitetur et frangatur.

Neque vero modo de iudicibus, qui orationum magnitudini frenos quasi imponant et Messalla et Plinius idem fere iudicant, sed etiam de optimo et absolutissimo genere dicendi. Prorsus enim cum multis locis epistulae illius Plinianae conveniunt quae Messalla dicit cp. 30, 25 sq. Ex multa eruditione et plurimis artibus et omnium rerum scientia exundare et exuberare illam admirabilem eloquentiam neque oratoris vim et facultatem rerum angustis et brevibus terminis cludi, sed eum esse oratorem, qui de omni quaestione pulchre et ornate et ad persuadendum apte dicere pro dignitate rerum ad utilitatem temporum cum voluptate audientium possit. (Cf. Plin. 16—22.)

Ex his atque talibus locis, quibus probatur vel eisdem vel similibus vel diversis quoque interdum de eloquentia opinionibus Tacitum et Plinium esse ductos, Plinium illam epistulam ad Tacitum dare non potuisse efficitur, si dialogum legisset, antequam ad amicum scriberet. Nosset enim ad omnia, quae interrogaturus esset, in dialogo esse responsum. Ex quo conficitur, ut litterae a Plinio tum missae sint, cum opusculum illud Tacitus nondum composuerat. Omnium

igitur primum, quo anno ea epistula Tacito reddita sit, patefiat necesse est, quippe post quem annum dialogus publicatus sit.

Sed cum ex ipsa epistula, quo anno scripta sit, non intellegatur, fieri non potest, ut in certum annum eam referamus, nisi Mommsenium secuti (cf. Hermes, vol. III, pg. 31—139, zur Lebensgeschichte des jüngeren Plinius) Plinium accurate servato ordine temporis epistularum novem libros et collegisse et edidisse arbitramur. Ita enim, cum et earum epistularum aliquot, quae vicesimam primi libri antecedunt et ex eis, quae eam sequuntur, una alterave certis vel mensibus vel annis attribui possit, etiam, quinam annus vicesimam tulerit, conici licet. Ad quae quidem efficienda longiore argumentatione opus erit. Sed quamquam ex longa argumentorum serie multa me Mommsenio debere profiteor, tamen errasse virum praeclarissimum opinor, quod anno 97 primum epistularum Plinii librum publicatum esse scribit (l. l. pg. 36 sq.). Ad annum igitur, quo Plinius hunc librum ediderit, accuratius definiendum arduum argumentandi munus ita suscipio, ut et Mommsenii et mea demonstratione nitar.

Atque cum quinta primi libri epistula aliquanto post mortem Domitiani (cf. § 1) et post Kalendas Januarias anni 97 (cf. § 11) scripta sit, pro certo affirmari potest epistulas tres priores quoque post Domitiani mortem, qui occisus est die 18 mensis Septembris anni 96, scriptas esse. Quintam vero anni 97 esse luculentissime apparet primum ex verbis „post mortem Domitiani“ coniunctis cum plusquamperfecto „commiserat“, deinde ex illo loco, quo Regulum, delatorem illum famosissimum, in praetoris se officio, id est Kal. Januariis a. 97 (cf. Mommseu l. l. pg. 37) convenisse Plinius scribit, tum quod Mauricum mox ex exsilio reversurum esse iam sperat (§ 10, § 15, § 16). Sic fit, ut epistula septima non multo ante Idus Octobres Octavio Rufo reddita videatur, cum circa Idus eius mensis in urbem rure (cf. epp. VI) se conferre animum induxerit. In sequentibus autem epistulis mirum est, quotiens de medicis (VIII, 12), de corpore, cuius fulturis animus sustineatur (IX, 4) de valetudine amicornm (epp. XI, XII, 2), de morbis patriis, qui plerumque per successiones quasdam a parentibus tradantur liberis, (XII, 4) admoneat. Ea quidem omnia optime cadunt in annum 97 exeuntem et a. 98 ineuntem, cum morbo gravissimo implicatus animum ad eiusmodi cogitationem advertisse putandus sit. Scimus enim ex quinta et octava epistularum ad Traianum datarum paulo ante Nervae mortem, quam 26. die mensis Januarii a. 98 ille occubuit, in periculosissimum morbum Plinium incidisse. Exeunte igitur anno 97 nulla praeter octavam et nonam libri primi epistula ad amicos, ni fallor, missa erit, cum Plinius durissima vuletudine usque ad periculum vitae vexatus diu, ut videtur, epistulis scribendis non vacaverit. (Cf. epp. ad Trai. V, I et VIII, § 3.)

Quare omnes iam inde ab decima epistulae anni 98 erunt. Atque decimam quidem primam eius anni esse peropportune ex querelis illis de officio ut maximo sic molestissimo efficitur. Etenim si non novo quodam officio Plinius destringeretur, sed ut Mommsenius putat, aerarii militaris praefectura fungeretur, qua ab anno 95 usque ad a. 97 (Mommsen l. l. pg. 89) functus est, cur Clementi, viro amicissimo ea scriberet (cf. epp. IV, 2), quae is iam tertium annum norat? Multo igitur verisimilius est de novi officii curis Plinium scribere, cum ineunte anno 98 (9 die mensis Januarii) praefecturam aerarii Saturni, quod officium ei a Nerva Traianoque delegatum est, inierit. (cf. epp. ad Traian. III et VIII. Mommsen l. l. pg. 89 et pg. 37 sq.) De eius magistratus molestiis tot verbis Attium Clementem certiorem facere videtur. (cf. X, 9 et epp. ad Traian. III, § 1—2.) Studia autem liberalia, quibus urbem

tunc maxime multis quidem clarisque exemplis floruisse legimus (X, 1), optime in annum 98 transferuntur, quo, ut unum adiungam exemplum, Agricolam Tacitus editurus erat (Mommsen, l. l. pg. 106) ad Germaniamque componendam animum converterat. Anni igitur 98 Aprili nullus fere dies fuit, quo non poetarum quisquam recitaret. (epp. XIII, 1.) Quodsi epistula decima mense Januario et tertia decima paulo post Kalendas Maias eiusdem anni scriptae sunt, ut notissima illa duodecima interiecto temporis spatio ad Calestrionem Tironem data sit, sequitur. Ex ea autem epistula haec optime cum anno 98 congruunt: Venisse enim se Domitiani temporibus ad Corellium Rufum in suburbano in cubiculo iacentem (§ 6) Plinius non dixisset, nisi ultimus istius latronis (§ 8) annus aliquantum iam recessisset. Anni enim 97 si esset epistula, ut putat Mommsenius, procul dubio pro Domitiani temporibus (XII, 6) sive proximo anno sive proximis annis positum esset. Quod autem Plinius florente re publica (XII, 11) Corellium Rufum diem obisse memorat, ad annum 98 multo aptius quam ad 97 convenit, quippe cum anno 97 Nerva seditionibus tumultibusque militum praetorianorum et eorum, qui a partibus Domitiani steterant, maximo opere vexatus, territus, in vitae discrimen adductus sit. Anno praeterea 97 Corellium vixisse ex epistula libri noni (13, § 6 sq.) patet, ubi eum actioni interfuisse tradit Plinius in Publicium Certum, qui in senatu senator et iudex senatori Helvidio reo, Domitiano imperante, manus intulerat.

Quae quidem causa cum aliquot mensibus post reditum Arriae et Fanniae et Maurici altero vel tertio anni 97. nundinio acta esse videatur, Corellium a. 98, non 97 decessisse verisimillimum est, ut duodecima epistula eiusdem anni mensi fere Aprili tribuenda sit. In aliis undecim primi libri epistulis neque est, quod ad tempus, quo scriptae sint, accuratius definiendum usui sit neque quod anno 98 repugnet. Prima vero secundi libri aut ultimis a. 98 mensibus aut primis anni 99 ad Romanum missa est, ut nullum fere inter extremas primi libri et primas secundi intervallum temporis intercedere videatur. Neque enim est dubium, quin ea epistula brevi post mortem Verginii Rufi Romano reddita sit (II, 1). Verginius autem, cum triginta annis gloriae suae eum supervixisse Plinius memoriae prodat et summam gloriam principatu, qui ei a militibus oblatus erat, reiecto anno 68 consecutus esset, non ante annum 98 mortuus est. Quod pro certo dici potest, cum anno 97 una cum Nerva ille consulatum acceperit, quo eum, „perfunctum" esse in eadem epistula (§ 2) legimus. Eo verbo Plinius non usus esset, si in ipso consulatu decessisset, neque Epp. VI, 10, 3, id est anno 107, post „decimum" mortis annum reliquias eius neglectumque cinerem sine titulo, sine nomine iacere questus esset, nisi anno ille 98 e vita abiisset. Itaque suo fortasse iure Asbachius (Analecta historica pg. 17 sq.) demonstrare posse putavit etiam anno 98 Verginium in senatu adfuisse, cum Traianum, quia Romae non esset, consulatum recusare nuntiaretur (cf. Plin. Panegyric. cp. 56—60). Quod fieri potuit, quamquam Verginius coxam acturus in consulatu anni 97 principi gratias fregerat. Coïerant enim ossa fracta, sed parum apte collocata reluctante aetate male coierunt et duriorem longioremque aditum mortis anno tandem 98 dederunt. Hinc quoque colligitur Tacitum, cum ab eo consule Verginius in foro publice laudatus sit, (§ 6) anno 98, non 97, ut putat Mommsenius (Hermes III, pg. 38 et pg. 136), consulem suffectum fuisse. (Cf. et Urlichsii commentationem de vita et honoribus Taciti pg. 13.)

Sed quorsum plura? Etenim epistula primi libri vicesima cum inter anni 98 epistulas multas media posita sit, procul dubio medio anno 98 ad Tacitum missa est. Dedit igitur eam

Plinius ad amicum vel consulem, vel consulem designatum, cum et honorum et eloquentiae et litterarum laude quam maxime floreret. Quod eo magis placet, quod viri illius docti et periti, quocum Plinio frequens de actionum dicendi genere disputatio erat, nomen non legitur. Inde enim tantae eum sive in re publica sive apud principem auctoritatis fuisse apparet, ut Plinius, cum illius sententiae impugnaret et, ut Tacitus idem faceret, optaret, ne eum offenderet, nomen praetermitteret. Eius igitur autoritati Plinius non modo suam sed etiam Taciti, viri gravissimi et litteratissimi, opponere studet. Et plurimum illis temporibus eos valuisse, qui Gracchos Catonemque Tullio praeferrent, cum ex aliquot dialogi locis, quos supra laudavi, manifestum est, tum, quod Hadrianus, cum oratione imperatoris in senatu agrestius pronuntiata et risa inde ab anno 101 facundiae operam daret, genus illud vetustum dicendi adeo adamavit, ut Ciceroni Catonem, Vergilio Ennium, Sallustio Coelium praeferret (cf. Aelium Spartianum, Hadrianus cp. III, 1 et cp. XVI, 5—6). Itaque his quoque rebus adductus recte litteras illas anno 98 ascribere mihi videor.

Quare cum dialogum ante illam epistulam componi non potuisse demonstraverim, a Tacito ante initium anni 99 bibliopolis traditus non est. Aliquantum enim temporis, cum libros edendi artis nondum peritior esset, in legendis et excerpendis Ciceronis, Senecae, Quinctiliani libris consumpsisse eum, deinde amicis libellum, ut tunc moris erat, misisse, tum publice legisse, ad postremum bibliopolae eum in exemplaria transcribendum et vendendum mandasse verisimillimum est.

A quo quidem anno minime abhorret, quod Tacitus Quintiliani institutionibus ad conficiendum dialogum apertissime usus est. Eum autem plurimis locis cum institutionibus ipsis verbis congruere et inde a Rhenani, Lipsii, Acidalii, Pichenae, Gruteri, Freinshemii, Gronoviorum temporibus notissimum fuit et his annis a Vogelio (de dialogi sermone pg. 254 sq.) a Gruenwaldio (quae ratio intercedere videatur inter Quintiliani institutionem et Taciti dialogum pg. 7 sq.) a Kleibero (quid Tacitus in dialogo prioribus scriptoribus debeat pg. 82 sq.) aliisque viris doctis, ut taedium non semper effugiant, iterum et saepius monstratum est. Quod ita omnes fere,*) quos quidem legerim, interpretantur, ut Tacitum Quintiliani fuisse auditorem contendant. At fieri non potuit, ut Tacitus adulescentulus Quintiliano operam daret. Missis enim aliis locis, ex quibus nihil certi de Taciti anno natali colligi videtur, in Agricolae cp. 3 in eis ille se iuvenibus numerat, qui ad senectutem pervenerint. Quare cum primus senectutis terminus annus quadragesimus sextus sit (cf. Gellium Noct. Att. X, 28, 1) et Agricolam anno 98 editum esse recte Mommsenius monstraverit (Hermes III, pg. 106), quo tempore Agricolam publicabat, Tacitus annos vel quinque vel sex et quadraginta natus erat. Anno igitur 52 vel 53 cum lucem aspexerit, optime in dialogo, qui anno 74**) habitus fingitur, iuvenem admodum, id est nondum

---

*) Vogelius (l. l. 253) ex eis est, qui a Fabii Justi amico dialogum esse compositum nulla causa prolata pro certo vel potius in cassum affirment.

**) Post enim enim annum Tacitum „iuvenem admodum“ (cf. dial. I. 15) i. e. „aetate honorum nondum capaci“ fuisse nego, (utramque structuram idem de Regulo delatore promiscue Hist. 4, 42 adhibet). In eundem praeterea annum optime cadit „nuper“ illud, quod dial. 5, 35 legitur. Nuper enim dicit Eprium Marcellum nihil aliud patribus infestis quam eloquentiam suam opposuisse. Ea autem contentio in senatu anno 70 fuit Quod vero Tacitus dial. 8, 23. Eprium Marcellum nunc principem in Caesaris amicitia agere et gerere cuncta scribit, ad annum 74 optime convenit, cum illum anno 70 inter potentissimos civitatis (cf. Hist. 4, 43 sq.), inde

honorum capacem se dicere potuit. Quintilianum vero nec ante annum 72 in auditorio docuisse nec primis quidem Vespasiani annis ad magnam provectum esse famam puto. Nam cum disponere institutionis oratoriae materiam coacervatam inciperet, quietem impetraverat studiis suis, quae viginti per annos erudiendis iuvenibus impenderat (Prooemium I, § 1). Emisit autem libros duodecim non ante annum 96, cum et delegatam sibi a Domitiano curam sororis nepotum scribat (Prooem. IV, 2) et patrem eorum Flavium Clementem (cf. Suetoni Domit. cp. 15, 1—2) ineunte anno 96 Domitianus ex tenuissima suspicione interemisset. Cuius quidem curae cum in prooemio quarti demum libri mentionem faciat, primi tres fortasse libri anno iam 95 in manus hominum venerant.

Reliqui vero libri intra annum 96 editi sunt, cum usque ad decimum Domitiano ut vivo Quintilianus blandiatur (cf. inst. or. X, 1. 91). Atque brevi tempore totum opus foras datum esse, eo verisimilius est, quod iam dudum compositum et Marcello Victori dedicatum (Prooem I, 6 et IV, 1) et ad domesticum usum permissum traditumque erat. Ita operi paulo plus biennio composito otium auctor dederat, ut maturescet et ipse tanquam lector perpenderet (cf. Epp. ad Tryph. 2). Quodsi unum fere annum libros compositos retinuisse et paulo plus quam biennium in opere conficiendo consumpsisse putandus est, triennio fere ante annum 95 i. e. a. 92 opus aggressus est. Quo temporis puncto cum per viginti annos erudiendis iuvenibus studia impendisset, anno circiter 72 Romae docere coepit. Qui quidem annus minime repugnat loco Hieronymi ad. a. Abrah. 2084, quo a Galba a. 68 Quintilianum ex Hispania Romam perductum esse prodit. Turbidis enim illis temporibus facile diu rhetor ille impediri potuit, ne scholam aperiret. Neque vero credi potest eum statim tantam assecutum esse famam, ut Tacitus, qui annum tum vicesimum fere agebat, in eius auditorium descenderet. Sin audivisset eum, nec tam infesto in rhetoras animo Messallam dicentem induxisset nec Quintilianus eisdem, quibus in ultimis de institutione oratoria libris utitur, verbis et enuntiatis suam doctrinam adulescentibus viginti annis ante ita commendasset, ut, quae Tacitus vel alii in schola excepissent calamo, accurate cum tot operis illius Quintilianei locis congruerent (cf. Prooem I, 7). Plinius videlicet, cum Quintilianum et Niceten Sacerdotem diu adulescentulus frequentavisset (cf. Plin. Epp. II, 14, 10 et VI, 6, 3), per totam vitam rhetorum studiosissimus et amicissimus erat, et eos ab obtrectoribus defendebat et postea quoque ad eorum auditoria religiosissime ventitabat (cf. Epp. I, 10; II, 3, 5—7 etc.). At enimvero Tacitus irridet Sacerdotem istum Niceten et si quis alius Ephesum vel Mitylenas concentu scholasticorum et clamoribus quatiat (Dial. 15, 15) et aegre fert, quod adulescentuli illius aetatis in scholas deducantur istorum, qui rhetores vocentur, cum id solum dubitet, utrumne in illis ludis impudentiae locus ipse an condiscipuli an genus studiorum plus mali ingeniis afferant (cf. dial. cp. 35, 1 et 7. sq.). Quae non scripsisset Tacitus, si a Niceta (cf. Walther,

ab anno 71 usque ad 73 Asiae proconsulem et anno 74 iterum consulem fuisse constet (cf. Henzen vol. III 5418 et 5425). Et tunc quidem Mucianum inter vivos fuisse et Actorum librum undecimum et epistulas et componere et edere potuisse (cf. dial. 37, 9) facillimum est ad demonstrandum. Duo autem loci illi (cp. 17,6 et cp. 24. 15), ex quibus alius effici solet annus, cum inutilem et ridiculam notissimarum rerum narrationem proferant et Apri argumentis noceant magis quam prosint et errore gravissimo laborent et sermonem Latinum prorsus vitiosum exhibeant, sine ulla dubitatione ita vel corrupti vel interpolati sunt, ut nihil inde cognascatur. Postremo, etiamsi non idem sentias, tamen in annum 74 Tacitus dialogum transferre potuit, cum annos, qui ibi computentur, rotundos, quos aiunt, esse evidenter Violetius nuperrime ostenderit (cf. Zahlwörter bei Tacitus pg. 230 sq)

de Taciti studiis rhetoricis) vel a Quintiliano, ut multis visum est, arte rhetorica institutus esset. Neque est, quod ei diffidamus, cum in dialogo (cp. II, 5 sq.) Aprum et Secundum celeberrima fori ingenia sub Vespasiamo fuisse seque eos potissimum secutum esse tradat et ex rhetorum tum notorum numero praeter Niceten neminem nominet. Ipse autem Quintilianus diu se Senecae et eius sectatorum discipulorumque vitiis fractum dicendi genus revocare ad severiora iudicia contendisse narrat (Inst. X, I, 125 sq.), id quod ei non contigerat, quoad Aper, cui summa cum Seneca ingenii affinitas est, in celeberrimis fori ingeniis habebatur. Ita fit, ut ea aetate, in quam dialogus transfertur, in principibus nec scholae nec fori Quintilianus ductus sit. Cur igitur ei operam navaret Tacitus, viginti iam annorum iuvenis, quem tum vel brevi post ad causas agendas animum convertisse conicio? Plinius enim, qui a prima adulescentia illum imitandum sibi proposuerat (Epp. VII, 20, 4) undevicesimo aetatis anno, i. e. a. fere 80 vel 81 in foro dicere coepit (Epp. V, 8, 8). Num nisi anno 77 Tacitus iam gloria ingenii et advocationum et honorum laude praeter omnes floruisset, Agricola ei filiam despondisset et in matrimonium dedisset? Et cur ad Quintilianum se conferret, cum Messallam, quem arcta familiaritate complexus esse videtur (cf. Hist III, 9 et IV, 42), sequi posset, qui similia de eloquentia atque ille sentiret? (cf. dial. 20 et cp. 25 sq.) Neque multum Julium Secundum ab eis distulisse arbitror, cum disertissimis verbis et summis laudibus facundia eius a Quintiliano efferatur (cf. Inst. X, 120 sq. et dial. cp. 23, 21 sq.) et ab eo familiarissime amatus sit (cf. Inst. X. 3, 12). A prima igitur pueritia et adulescentia duo diversissima dicendi genera ad Taciti ingenium excolendum et in diversissimas partes distrahendum concurrisse opinor. Eruditum enim eum esse et ab eis existimo, quibus Senecae amoenum ingenium et minutissimae sententiae et corrupta fractaque dictio, omnia denique vitia dulcia probarentur, et ab eis, qui in immensa vastitate oratorum Ciceronem unum perfectum absolutumque oratorem praedicarent. Ita factum esse censeo, ut multis quoque lustris post modo Ciceronem imitaretur, modo novum dicendi genus ex Sallustio, Vergilio, Lucano, Seneca multo labore et sudore conquireret et in historia prorsus alia specie dicendi aequales tenere studeret atque in orationibus et dialogo. Sed ut Quintilianus ad tale ingenium erudiendum multum valeret, propter solam temporum rationem fieri non potuit. Quodsi dialogus et de institutione oratoria libri tot locis congruunt, Taciti leve opusculum, quo gravissimae res liberaliter potius et obiter perstringuntur quam hauriuntur, ex magno Quintiliani opere multa sumpsisse constat, id quod minime abhorret ab anno illo 99, ante quem dialogum confici non potuisse ratiocinando supra monstravi.*)

Errant igitur, qui Tacitum, utpote qui dialogum iam ediderit, non recte per silentium se ad senectutem pervenisse et incondita ac rudi voce Agricolae vitam se compositurum scripsisse putent. Ita enim scripsit, quia neque dialogum emiserat et tum primum ad libros componendos animum converterat (cf. Agr. cp. 3; et Andresenium ed. dial. a. 72, pg. 1, aliter in altera editione a. 79 pg. 3 sq.; Peterum, ed. dial. pg. 15, Mackium, de substantivis Taciti pg. 6). Quaecunque praeterea ab Andresenio, Petero, Jansenio, (de Tacito dialogi auctore pg. 24 sq.). Weinkauffio (de Tacito dialogi auctore pg. 19 sq.), aliis in eandem vel contrariam aetatem, qua ille opusculum de oratoribus publicasse videatur, disputata sunt, eis, dummodo accurate omnia respicias, nihil eorum, quae dixi, refutatur. Risum vero paene movent, qui

*) Similibus causis ductus Seeckius (Hermes XII, pg. 509) dialogum post Quintiliani opus confectum esse censet.

sub Tito vel primis Domitiani annis vix triginta annorum iuvenem Tacitum ad aequalem Iustum Fabium (cf. Plin. epp. I, 5, 8; I, 1; VII, 2 [?]), anni demum 102 consulem, (cf. Mommsen, Hermes III, pg. 137) de secessu a republica, de principatu, de delatoribus, de diversis dicendi generibus, de liberorum educatione libellum emisisse opinentur. Nonne talia multo melius in Tacitum, virum consularem et Iustum Fabium vel consulem designatum vel consulem suffectum vel consularem quadrant?

Iam quaerendum videtur, post quem annum dialogus in manus hominum non venerit. Quemadmodum igitur non defuerunt sescenti, qui, ob nimiam elocutionis ab operibus historicis Taciti alienae curam et anxietatem uno eodemque genere dicendi ideo Tacito utendum fuisse rati, quod, centum quinquaginta annis ante eundem manifesto ubique orationis vultum Cicero, Caesar, alii prae se tulissent, usque ad Titi tempora dialogum de oratoribus detrudere non dubitarent, ita nuperrime vir doctissimus Urlichsius (Commentatio de vita et honoribus Taciti pg. 5) anno fere centesimo octavo (cf. Plin. epp. VIII, 7 et Mommsen Hermes III, pg. 51) dialogum Plinio corrigendum traditum esse scripsit. Cui quidem opinioni cum alia repugnant, tum quod illo anno haud dubie Tacitus iam ad Domitiani tempora historias perduxerat. Etenim in libro septimo (epp. 33) Plinius ab amico petit, ut se historiis immortalibus inserat, quaeque advocatus provinciae Baeticae contra Massum sub Domitiano (anno 93) cum periculo dixerit, suo et ingenio et testimonio ornet (cf. etiam Mommsen l. l. pg. 107). Itaque et ab foro et iudiciis animum iam adverterat ad res gestas componendas et a republica iam pridem civilibus officiis, amicitia fortasse Traiani exemptus, secesserat. At cum dialogum ederet, Tacitus nondum otio fruebatur, sed sub Materni persona verbis plurimis deliberat secedendumne sit necne. Ea controversia et in initio dialogi movetur et in fine in medio relinquitur, ut alias quaestiones amplexu quasi teneat.

Sed ne post quartum quidem historiarum librum dialogum Tacitus confecit, cum ibi (cp. 43) narretur Helvidium Priscum in senatu spem cepisse Marcellum prosterni posse, ut longiore oratione eum a Cluvii Rufi laude orsus criminibus exemplisque patrum animis ardentibus urserit. Cui Marcellum, priusquam subito una cum Vibio Crispo e senatu erumperet statimque adcursu amicorum retraheretur, brevissima tantum hac voce respondisse: „Imus Prisce, et relinquimus tibi senatum tuum, regna praesente Caesare.“ At in dialogo (cp. 5, 21) idem Tacitus nihil aliud Eprium Marcellum patribus infestis nisi eloquentiam suam opposuisse prodit, qua accinctus et minax disertam quidem, sed inexercitatam et eiusmodi certaminum rudem Helvidii sapientiam eluserit. Differt igitur utraque narratio, cum in Historiis nihil fere Marcellum dixisse, in dialogo singulari eloquentia disertam adversarii sapientiam vicisse legamus. Quae quidem non modo verborum sed etiam rerum discrepantia maxima non explicatur, nisi in dialogo alium et deteriorem auctorem Tacitum secutum et postea in historiis accuratius e meliore scriptore, e Cluvio Rufo fortasse, rem illam perspexisse putamus. Cum ea ita sint, sequitur, ut dialogus ante quartum historiarum librum, quem post annum 105 publicatum esse monstrari potest, editus sit. In utroque enim libello nominatur Regulus, delator ille famosissimus, qui sub Nerone et Domitiano omnium bipedum nequissimus et sub Nerva et Traiano multis odio, sed, cum locuples et factiosus et disertus esset, pluribus curae et timori erat (cf. Hist. IV, 42, Plin. epp. I, 5; II, 11, 22; II, 20; IV, 2; IV, 7; VI, 2). Sed in dialogo, ubi Vibii Crispi et Eprii Marcelli delatorum memoria movetur, nomen Reguli omittitur et postea Aper eloquentiam eius et Messallae,

fratris Reguli, laudibus effert (cf. Dial. cp. 5, cp. 8, cp. 15, 4). In historiarum autem libro quarto cp. 42 eidem Regulo, cuius periculis Messalla frater eloquentissime se opposuerat, Curtius Montanus, qui anno 109 inter vivos erat (cf. Plin. VII, 29 et VIII, 6), truci oratione occurrit, eo usque progressus, ut post caedem Pisonis interfectori a Regulo pecuniam datam adpetitumque morsu Pisonis caput obiectaret et libidine sanguinis et hiatu praemiorum innoxios pueros, conspicuas feminas, illustres senes eadem ruina ab eo prostratos esse diceret. Talia certe Tacitus, vir anxius et providus et inter factionum certamina ubique, ni fallor, medius incedens et Montano et Regulo vivis, cum plurimum hic etiam sub Traiano in republica posset, non memoriae mandavisset. Itaque post Reguli mortem quartus liber Historiarum emissus est. Is autem, cum secundam quarti libri epistulam Plinius componeret, anno 104 nondum decesserat, sed cum secundam sexti libri ad Arrianum daret, anno 106 mortuus erat, (cf. Mommsen l. l.) ut anno 105 eum diem obisse verisimillimum sit. Dialogus igitur ante annum 105 confectus est. Neque enim laudavisset istum neque silentio eius inter alios delatores nomen Tacitus praetermisisset, nisi etiamtum vixisset; sed tum cum mortuus erat, foedorum illorum criminum memoriam redintegrare posterisque tradere ausus est.

Sed et ante annum 103, cui epistula Plinii IV, 13 ad Tacitum missa ascribenda est (cf. Mommsen l. l. pg. 45 sq.), dialogus compositus est. In ea enim epistula (§ 10) ille ab amico petit, ut ex copia studiosorum, quae ad eum ex admiratione ingenii convenerit, circumspiciat praeceptores, quos sollicitare et ad docendos adulescentulos Comum, cui urbi, cum inde oriundus esset, pie prospiciebat, municipibus mittere possit. Quae quidem copia studiosorum si ad Tacitum, principem tum facile in re publica oratorem iam convenisset, priusquam dialogum aggrederetur, cum in rhetorum scholas vehementissime invectus esset, (cp. 34, 1 sq.) non dixisset: „Apud maiores nostros iuvenis ille, qui foro et eloquentiae parabatur, imbutus iam domestica disciplina, refertus honestis studiis, deducebatur a patre vel a propinquis ad eum oratorem, qui principem in civitate locum obtinebat. Hunc sectari, hunc prosequi, huius omnibus dictionibus interesse sive in iudiciis sive in contionibus assuescebat ita, ut altercationes quoque exciperet et iurgiis interesset utque sic dixerim, pugnare in proelio disceret. Magnus ex hoc usus, multum constantiae, plurimum iudicii iuvenibus statim contingebat in media luce studentibus. — Igitur vera statim et incorrupta eloquentia imbuebantur et quamquam unum sequerentur, tamen omnes eiusdem aetatis patronos in plurimis et causis et iudiciis cognoscebant et q.s.“ Sed conici licet his ipsis nobilissimi viri consularis verbis commotos multos cives insignes ad Tacitum filios misisse, ut ab optimo oratore et electissimo praeceptore vera instituerentur eloquentia, quemadmodum apud maiores moris fuisset. Quem quidem antiquorum morem Traiani temporibus plures etiam secutos esse constat, cum Plinius VI, 11 discipulos suos Fuscum Salinatorem et Ummidium Quadratum magno cum gaudio et audiat et laudet, quippe qui a se eruditi suae eloquentiae vestigiis instare et temporibus et litteris ornamento futuri esse videantur. Ceterum Ummidius quidem Quadratus magistri spem non fefellit (cf. Aelii Spartiani Hadrianum cp. 15, 7; scriptor. hist. August. ed. Peter pg. 15). Ita misso Julio Genitore, qui rhetor potius Latinus erat, (cf. Plin. epp. III, 3, 5 sq.; VII, 30; IX, 17) ad Titinium quoque Capitonem studiosorum coronam confluxisse apparet (Epp. VIII, 12, 1). Sed haec utut se habent, illud constat Tacitum verba laudata scripturum non fuisse, si, cum dialogum conficeret, multi iuvenes in ipsum, ut

rectorem studiorum, ut magistrum intueri eiusque instare vestigiis soliti essent. Dialogus igitur ante annum 103 editus est. Qua re fit, ut intra annum 99 et 102 absolutus publicatusque sit.

In quem vero eorum annorum optime referendus sit, tametsi neque multum interest enucleare nec facile diiudicatur, tamen ex Plinii epistulis anno fere centesimo eum esse compositum, si velis, efficere possis. Nam cum familiarissime Plinius Tacito uteretur, quantum Tacitini libelli sententiae apud eum valuerint, in epistulis vestigia reliqua esse existimo. Itaque haud scio an ante tertiam secundi libri epistulam dialogus nec recitatus nec in lucem editus sit. In ea enim (§ 5 sq.) Plinius mirum in modum scholasticos laudat, quo genere hominum nihil magis odio fuit Tacito, cum scribebat dialogum (cf. cp. 35 sq.). Ille autem eos miratur ut sinceros et simplices et optimos et scholam laudat et auditorium et fictam causam, cum res sit inermis et innoxia neque plena malitiae, ut forum, nec minus felix, senibus praesertim. Nam quid esse in senectute felicius quam quod dulcissimum in iuventa? At Tacitum summa indignatione in dialogo (cp. 30, cp. 35 alibi) rhetoras eorumque et mores et controversias et suasorias, totas denique scholas, ut ludos impudentiae reprehendisse satis supra monstratum est. Quae si legisset Plinius, priusquam illam epistulam (2, 3) scriberet, qua fuit admiratione amici, cautius et pudicius, etiamsi aliter sensisset, quid ipse sentiret, scripsisset. Propterea post eam epistulam, anno 99 cum proxime sit primam secundi libri, scriptam, dialogum emissum esse opinor. Quarta vero decima eiusdem libelli anno 100 ad Maximum data multis locis opusculi Tacitini memoriam movet. Quae quidem anno 100 Maximo reddita est, cum sequatur undecimam et duodecimam, quibus causa Marii Prisci anno 100 transacta narratur. Ibi multa inter utrumque communia sunt. Ac primum quidem queritur Plinius, quod destringatur causis centumviralibus, parvis plerisque et exilibus (§ 1). Ita Tacitus (cp. 38, 10; cp. 37, 15) maiora olim apud iudices negotia exerceri solita esse contendit, cum causae centumvirales, quae iam primum obtineant locum, adeo splendore aliorum iudiciorum obrutae fuerint, ut nullius magni oratoris liber apud centumviros dictus legatur. Deinde in adulescentulos Plinius temerarios et irreverentes increpat, cum quibus dicere non iuvet, quod obscuri ignotique sint (§ 2). At Hercule (en verba a Tacito vicies in dialogo usurpata!) ante memoriam suam ne nobilissimis quidem adulescentibus locum fuisse, nisi aliquo consulari producente. Iam vero refractis pudoris et reverentiae claustris omnia patere omnibus, nec illos induci sed inrumpere (§ 3 et 4). Similiter Tacitus (dial. cp. 30, cp. 34, cp. 35 sq.) apud maiores iuvenem, qui foro pararetur, a patre ad eum oratorem esse deductum scribit, qui principem in civitate locum obtineret. Apud eum et foro et iudiciis et auditorio semper pleno eum assuevisse. At suis temporibus adulescentulis ad rhetoras deductis nihil esse reverentiae, nihil profectus et q. sq. Conferas etiam, quae (cp. 28 et 29) de oblivione antiqui moris et educatione liberorum et de adulescentium histrionali favore et gladiatorum equorumque studiis proferuntur, quibus occupatus animus locum bonis artibus non relinquat; neque praeceptores discipulos severitate disciplinae, sed ambitione salutationum et illecebris adulationis colligere. Tum similia Plinius vitia hebetatae ac debilitatae eloquentiae atque Tacitus vituperat his verbis (§ 12 sq.): Pudet referre, quae quam fracta pronuntiatione dicantur, quibus quam teneris clamoribus excipiantur. Plausus tantum ac potius sola cymbala et tympana illis canticis desunt. Tacitus haec habet: (cp. 26, 10 sq.) Plerique temporum nostrorum actores lascivia verborum et levitate sententiarum et licentia compositionis histrionales modos exprimunt. Quodque vix auditu fas esse credas, laudis et gloriae et ingenii loco plerique iactant cantari saltarique commentarios

suos et q. s. Ad postremum, si Plinius in fine epistulae (§ 14) nulla re se retineri in foro et iudiciis scribit, nisi utilitate amicorum et ratione aetatis (nondum quadraginta annos natus erat) vixque facere se posse, quin has indignitates relinquat, attamen initium gradatim desinendi sese facturum, de eisdem rebus eum scribere constat, quibus totus Materni sermo nititur. Neque enim ad aliud quicquam eius verba diserta spectant, nisi ad secessum defendendum et molestias, quibus patroni causidicique illius aetatis laborent, oculis tanquam subiciendas. Summa igitur sermonis illius cum Plinii verbis utique congruit, ut paulo ante eam epistulam, anno scilicet centesimo, dialogus confectus ad amicos mitti potuerit, praesertim cum proximis quoque annis easdem ille quas Tacitus de plurimis rebus sententias aperiat. Ita III, 3 exigit praeceptorem, cuius scholae severitas, pudor, in primis castitas constet; III, 11, 6 philosophorum mores vituperat, IV, 13 ut Tacitus optat, ut adulescentuli sub oculis parentum pudice domi contineantur et erudiantur. At II, 3, 5 rhetoras sinceros et simplices et optimos esse scripserat!

Sed quemadmodum ex his rebus certi anni coniecturam capere ambiguum esse libenter confiteor, sic summam totius dialogi in ea optime tempora referri posse censeo, quibus Tacitus anno quinquagesimo vitae appropinquabat, quibusque, utrum seiungeret se a forensi labore et causas relinqueret necne, deliberasse, ut multi eius aetatis Romani, putandus est. Summa autem dialogi, quoad paucissimis verbis circumscribi potest, haec est: Inquietam et anxiam oratorum vitam esse Tacitus sub Materni persona dicit, nec insanum ultra se et lubricum forum famamque pallentem trepidum experturum, sed omissis forensium causarum angustiis, in quibus satis sibi superque sudatum sit, securo se secessu fruiturum ad fontesque et nemora se confugiturum. Neque tamen negari posse summa laude dignam esse eloquentiam; qua qui armatus sit, eum magna florere potentia et gloria (Aper). Sed destringi oratorem maximis de optimo genere dicendi discordiis. Aliis enim nihil in causis agendis placere nisi brevitatem (in eos Messalla potissimum sed etiam Aper declamat), alios sui saeculi eloquentia et colore poetico esse contentos (Aper), alios vero omnibus quasi velis ad antiquorum, in primis ad Ciceronis imitationem vehi (Messalla), quibus quidem omnium primum de liberorum educatione radicitus mutanda et emendanda cogitandum esse (Messalla). Ceterum sub optimo et sapientissimo principe (Traiano) oratorem non tantum auctoritate valere, quantum inquietis liberae reipublicae temporibus. Neque eodem tempore magnam famam quemquam assequi posse et magnam quietem, sed sui quisque saeculi bono citra obtrectationem alterius utatur (Maternus).

Latitat autem sub his Materni verbis ipsius Taciti sententia haec: Cui nec deminuta eloquentiae potestas nec diversissimarum populi aurium copia probetur, eum suo iure, ubi iuventutem foro iudiciisque tribuerit, ultimis quidem vitae annis ad villam et mare et litus et silvas confugere, ibique nunc terra nunc mari corpus agitare, multum disputare, multum audire sermonibusque sapientium interesse, sive carmina pangere, ut Maternum, sive — ut ipsum, historias scribere. Aeque ac Tacitus plurimi tum aetate provecti iudicabant et cum a strepitu urbis lacrimisque reorum et foro recessissent, vita otiosa fruebantur. Ita nobilissimi sub Traiano viri, Antoninus (cf. Plin. epp. IV, 3; IV, 18; V, 15) Spurinna (Epp. III, 1; V, 17,) Passienus Paullus (VI, 15; VII, 22; IX, 22) Vergilius Romanus (VI, 21), Caninius (II, 4), Sentius Augurinus (IV, 27), fortasse etiam Pompeius Saturninus (I, 8; I, 16), Mauricus (VI, 14), Terentius Junior (VII, 25), Silius Italicus (III, 7) alii multi vel summis functi honoribus vel suadentibus annis vel valetudine coacti vel amicitia principis publicis negotiis exempti in agros se receperant, ut Plinius et

prima vitae tempora et media patriae, ultima ipsis impertienda esse rati (Plin. ep. 4, 23). Ibi epigrammata, iambos, elegos, mimiambos, comoedias, tragoedias, heroica carmina, idyllia, eclogas, historias vel legebant vel audiebant vel componebant. Neque deerant, qui utraque lingua scriberent. Quid? quod ipse Plinius, quadraginta fere annorum iuvenis, saepissime sperare se scribit, fore, ut tandem aliquando pingui illo altoque otio oblectetur soloque aeternitatis praemio retineri se confitetur? (cf. Epp. II, 14; II, 20; IV, 23; IV, 24; VII, 27; IX, 3; alibi.) Optime igitur, quae de Materni secessu et studio poeticae leguntur, ad ipsum Tacitum eiusque studia historica pertinere arbitror, ut dialogus eis annis ascribendus sit, qui secessum eius e iudiciis et curia anteierint.

Ceterum facillime alia quoque omnia, quae dialogus exhibet, apte et commode in eandem aetatem referri possunt, quippe qua saepenumero illa et libris et sermonibus tractata esse ex Quintiliani de institutione oratoria libris, ex Juvenalis saturis, ex Plinii epistulis efficiatur.

Atque Quintilianum quidem plurimis locis de eisdem quaestionibus atque Tacitum iudicare notissimum est. Ita multis verbis exponit, quemadmodum primis elementis pueri imbuendi sint (O. 7. I, 1. cf. dial. cp. 30 sq.), utrum utilius domi an in scholis erudiantur (I, cp. 2. dial. cp. 35), errare eos, qui corrumpi in scholis mores putent (I, 2, 4. dial. 35, 5), quando rhetori discipuli tradendi sint (II, 1), quales esse debeant praeceptorum mores (II, 1. dial. 35, 8), qui Graecorum et Romanorum scriptorum maxime legendi imitandique sint (X, cp. 1 et 2, cf. Apri et Messallae sermones); qualem vestitum oratoris esse deceat (XI, 3, 137—144, cf. dial. 39, 1 sq.). Eo loco Tacitus ausidicos vituperat, quod multum humilitatis eloquentiae attulerint paenulae istae, quibus adstricti et velut inclusi cum iudicibus fabulari consuerint. Mirantur editores, (cf. Taciti opera ed Gronovius II, pg. 556 et Andresenium et Peterum ad locum laudatum) quod paenulis ille oratores apud iudices indutos verba fecisse dicat, cum et Seneca rhetor et Seneca philosophus et Quintilianus (l. l.) toga eos amictos fuisse tradiderint. Et quamquam ex hoc intellegitur interdum palliola quoque et fascias et focalia et aurium ligamenta illis propter valetudinem usui fuisse, tamen nusquam paenulis, quibus nisi in itineribus non corpora Romani tegebant, irretiti fuisse dicuntur. Quintilianum vero fori et iudiciorum consuetudinem et cultum nosse inde a Vespasiano usque ad Domitianum apertissimum est. (cf. XI, cp. 3.) Sed paenulas omisit, quia eis temporibus oratores apud iudices agentes non illis utebantur. Contra Iuvenalis sua aetate magnam inter Romanos vestitus diversitatem fuisse scribit, ut apparet ex his verbis Sat. III, 169 sq.:

Pars magna Italiae est, si verum admittimus, in qua
Nemo togam sumit, nisi mortuus. Ipsa dierum
Festorum herboso colitur si quando theatro
Maiestas, tandemque venit ad pulpita notum
Exodium, cum personae pallentis hiatum
In gremio matris formidat rusticus infans:
Aequales habitus illic similesque videbis
Orchestram et populum, clari velamen honoris
Sufficiunt tunicae summis aedilibus albae.
Hic (Romae) ultra vires habitus nitor, hic aliquid plus

Quam satis est, interdum aliena sumitur arca.
Commune id vitium est, hic vivimus ambitiosa
Paupertate omnes.

Cf. eiusdem saturae v. 124 sq. Provincialium igitur legimus nobilissimos et magistratus tunicatos, non togatos incessisse, neque quemquam in magna parte Italiae togam sumpsisse nisi mortuum et vel diebus ferialibus summis aedilibus albas suffecisse tunicas, cum Romae (cf. Sat. III, v. 125), pauperes ridiculum in modum vel nocte togati currerent et omnes nimio sumptu in turpem paupertatem detruderentur. Sed licet rhetor pauperrimus bili nimis indulserit, cum urbanam consuetudinem simplicitati provinciali opponat, tamen inde sub Traiano magnam habitus discordiam fuisse efficitur. Qua re cum ea aetate et multos provinciales et multos, qui vitae castrensi et itineribus paenulisque assuevissent, Romam confluxisse constet, paenularum quoque morem in urbem ita invasisse puto, ut ibi, qui ius togae haberent, cum non magistratu fungerentur, paenulam, non togam gererent et apud iudices paenulati non togati dicerent. Quid? quod Aelius Spartianus (Peter, scriptores hist. Aug. Hadrian. 3,16) tribunos plebis interdum paenulis uti sub Traiano solitos esse memoriae prodit? Sub Hadriano autem senatores vel die feriato tunicis et lacernis indutos, id est tunicis cinctis et paenulis supra iniectis per urbis vias ingressos et huiusmodi vestitum de multo iam usu ignoscibilem gravissimo viro, Castricio, rhetoricae artis doctori, visum esse legimus (cf. Noct. Att. XIII, 22). Quibus rebus adductus Tacitum, quae Traiano imperatore in usum oratorum verterat, in Vespasiani tempora transtulisse censeo, ut paenularum quoque verbum spectatissimum mihi ad definiendam dialogi aetatem adiumentum afferat.

Eodem pertinet, quod in Iuvenalis saturis eadem saepe atque in dialogo vel fusius tractantur vel paucis percurruntur. Ita multis ille saturae quartae decimae versibus malam puerorum educationem vituperat (cf. dial. cp. 28 sq.); XI, 296 miseros trepidosque vocat parentes, quibus filius corporis egregii sit, VII, 230 cum eis cavillatur, qui anxie saevas praeceptoribus leges imponant et exigant, ut omnes disciplinas hauserint et tanquam pollice teneros mores ducant et. q. s. Ut Tacitus (dial. 15, 15, cp. 29, 1) in Graeculos et Graecos rhetoras Iuvenalis ira incensus est (cf. Satur. III, 60 sq.); ut ille nimium circi studium in malis urbis maximis habet. (cf. Sat, X, 124 sq.; dial. cp. 29, 10 sq.)

Plinii vero epistulas multis rebus cum dialogo convenire semel atque iterum monstratum est. Locis supra hic illic allatis addas velim, quae de discordia eorum dicuntur, qui contenti sunt eloquentia saeculi et quibus cum Cicerone aemulatio est. (Epp. I. 5, 11 sq.) In libro septimo (ep. 21, 1) autem Plinius ex eis se esse dicit, qui mirentur antiquos, non tamen ut quosdam despicere se suorum temporum ingenia. Neque enim effetam quasi naturam nihil iam laudabile parere. Illis a Tacito Aprum, his Messallam et Fabium quoque Justum attribui (cf. dial. cp. I) ostendi. Aper enim suorum temporum eloquentiam antiquorum ingeniis antefert nec inauditum et indefensum suum saeculum patitur damnari (dial. 1, 21; 16, 14), Justus autem Fabius vix nomen oratoris retineri putat (cp. 1); Messalla, cum vetera tantum admiretur, suorum temporum studia irridere atque contemnere non desinit (dial. cp. 15, cp. 33, 34 sq.).

Saepissime praeterea Plinius eadem queritur atque Tacitus. Ita vituperat et oratorum et iudicum suae aetatis consuetudinem binas vel singulas, interdum etiam dimidias clepsydras et dandi et petendi (cf. VI, 2, 5 sq.). Nam et eos, qui dicant, egisse malle et qui audiant

finire quam audire. Tantam esse neglegentiam, tantam irreverentiam studiorum. An eos sapientiores esse maioribus legibusque ipsis iustiores, quae tot horas, tot dies, tot comperendinationes largiantur? Similiter Tacitus (cp. 38) neminem olim intra pausissimas horas perorare coactum esse scribit et liberas comperendinationes fuisse et modum dicendi sibi quemque sumpsisse et numerum neque dierum neque patronorum finitum fuisse. Primum haec tertio consulatu Cn. Pompeium adstrinxisse et veluti frenos eloquentiae imposuisse, ita tamen, ut omnia in foro (sc. non in auditoriis vel tabellariis), omnia legibus, omnia apud praetores gererentur (ad ea cf. Asconium in Milon. or. pg. 37; Tac. dial. cp. 19, cp. 23; Plin. epp. I, 20, 11; I, 23, 2; II, 11, 14; IV, 16, 2). Ut apud Plinium (VIII, 14, 2) priorum temporum servitutem cum aliarum optimarum artium tum iuris senatorii oblivionem quandam et ignorantiam induxisse, ita apud Tacitum (cp. 31, 35 sq. 32 16) oratoribus nec iuris civilis nec legum nec senatus consultorum notitiam esse legimus. In dialogo (cp. 36, 26 sq.) laudantur antiqui, quod nemo sine eloquentia aut assequi potuerit in civitate aut tueri conspicuum et eminentem locum, quodque parum fuerit in senatu breviter censere et in crimen vocati sua voce respondendum habuerint et in iudiciis per tabellam testimonia dari non licuerit. Plinius reprehendit (III, 20) legem tabellariam, cum non iam candidati pro se dicant vitamque explicare cogantur et periculum sit, ne tacitis suffragiis impudentia in senatum irrepat. Quod quidem proximis comitiis factum esse (IV, 25) scribit. In sexto autem libro (epp. 5) facere non potest, quin doceat ex libello Celsum Nepoti respondisse et Celso Nepotem ex pugillaribus. Atque histrionalem favorem et gladiatorum equorumque studia illis temporibus plurimis valde placuisse, multos vero offendisse et Tacitus et Plinius narrat (cf. Tac. cp. 29, cf. epp. I, 15, 2: III, 1, 9; V, 19, 3; VII, 23; IX, 6; IX, 17, 3; IX, 36, 9; IX, 40, 2.) Itaque Plinius Mauricum secutus optat (IV.21), ut agones Romae quoque ut apud Viennenses tollantur, cum vitia urbis late vagentur et gravissimus sit morbus, qui a capite diffundatur. Aeque Tacitus (cp. 28, 7) mala in urbe nata mox per Italiam fundi in provinciasque manare putat. Poeticen autem Plinius, ut Maternus, religiosissime veneratur. (III, 15, cf. I, 13, II, 10, VII, 4, VII, 14, VII, 9, 10, IV, 14, V, 3, V, 10, IX, 33, IX, 10, VIII, 19, VIII, 21, etc.) Lusus vocantur carmina a malignis (VII, 9, 10), sed hi lusus non minorem interdum gloriam quam seria consequuntur. Ita Maternus (dial. cp. 11, 10), si quid in se notitiae ac nominis sit, id magis arbitratur carminum quam orationum gloria partum.

Sed satis multis exemplis monstravi pluribusque monstrare possum de omnibus rebus, quas Taciti dialogus habeat, etiam apud alios eorundem fere temporum scriptores sententias proferri, ut optime Traiani aetati ascribi possit, cum summa illius libelli minime ab ea abhorreat.

Quod vero Tacitus in dialogo cum Ciceronianorum dialogorum tum librorum, qui de oratore inscribuntur, et dispositionem et dicendi genus apertissime imitatus est, a Traiani temporibus non discrepat. At plurimi ob eam imitationem dialogum aut sub Tito vel primis Domitiani annis aut omnino non a Tacito sed ab aequali aliquo compositum esse existimaverunt. Neque enim fieri posse opinabantur, ut paene eodem tempore ille et Agricolae historiarumque et dialogi dicendi genere uteretur. Praeterea ipsis verbis tota enuntiata cum Cicerone congruere (e. g. de orat. II, 1, 4 et dial. cp. 2,15; de orat. I, 10, 35 et dial. I, 9; cf. Kleiber l. l. pg. 21 sq.), omnem dialogi scenam et apparatum ex Ciceronis libris de oratore conscriptis esse sumpta, multa ultro ex Senecae philosophi operibus et Quintiliano petita; ita adulescentem, non virum vel senem scribere. Sed quaecunque de dialogo obiciuntur in Agricolam quoque et

historias cadunt. Etenim horum quoque librorum elocutio ex Sallustio, Vergilio, Lucano, aliisque argenteae, quam dicunt, Latinitatis poetis conquisita est. Multis locis, in orationibus potissimum directis (cf. Schoenfeldium, de Taciti studiis Sallustianis pg. 52 sq.) structurae et sententiae Sallustianae reperiuntur, ut luculentissime inde Sallustii aemulatio appareat. Cuius quidem historiae studia ut a parvulis duobus libellis, ita Taciti ab Agricola et Germania incipiunt; ut ille postea historias, ita hic aliquot annis post historias aggressus est. Quemadmodum ille (cf. Eussnerum, ad Taciti Agricolam, Blätter f. bair. Gymnas. 143 sq. Urlichsium l. l. pg. 22 sq.; Schönfeldium l. l. 48 sq.) (Catil. 1—4, Iugurtha 1—4) de hominum studiis variis, de historia conscribenda, de sua vita longiore prooemio, ita Tacitus (Agr. 1—3) de more antiquo vitam clarorum virorum posteris tradendi, de se suisque temporibus scribit. Similiter ab utroque educatio, adulescentia, ingenium, honores et Iugurthae et Agricolae narrantur. (cf. Iug. 7—16, Agr. 5—9). Uterque et orationibus et digressionibus narrationem eisdem fere locis interrumpit varietatemque ad taedium legentium effugiendum quaerit. Quid? quod non modo Sallustii compositionem et elocutionem Tacitus secutus est, sed eum etiam ad verbum interdum in orationibus directis expressit? (Cf. Schönfeldium l. l.; Draegerum, Syntax und Stil des Tacitus pg. 104.) Efficitur inde, ut anno 98 ingenio Tacitus fuerit ad imitationem prono. Cur anno fere 100, cum dialogum scriberet, Ciceronem non imitaretur? Et cum Ciceronem imitaretur, cur non in aliud dicendi genus incumberet, quam cum Sallustii imitationi operam navaret? An quisquam dubitat, quin Tacitus in foro quoque alia verba, aliam enuntiatorum structuram, alium denique sermonem adhibuerit, quam in libris historicis? Nemo unquam Romanus apud iudices aut Sallustiano aut Tacitino genere dicendi florere potuit, cum ei, qui audiebant, risissent. Nonne ipse Quintilianus (inst. or. X, 1,32) haec praecipit: non illa Sallustiana brevitas, qua nihil apud aures vacuas atque eruditas potest esse perfectius, apud occupatum variis cogitationibus iudicem et saepius ineruditum captanda oratori est? Alium igitur certe et, ni fallor, ad Ciceronis exemplum formatum sermonem sive in senatu sive apud principem sive apud iudices Tacitus excoluisse putandus est, praesertim cum Plinius similitudine naturae adductum se esse scribat, ut ille sibi maxime imitabilis, maxime imitandus videretur (VII, 20, 4). Itaque idem Plinius et eloquentissimum laudatorem eum fuisse (epp. II, 1, 6) et eloquentissime (II, 11, 17) apud iudices respondisse contendit. Quod vero τὸ σεμνὸν eius orationi eximie fuisse legimus, id haud scio an minus ad verba quam ad personam et vocis sonum et cultum habitumque pertineat (cf. II, 11, 17). Atque aliquid vel plurimum potius inter historiae et orationis elocutionem illis temporibus interfuisse idem docet (Epp. V, 8, 9). „Habet quidem, inquit, oratio et historia multa communia, sed plura diversa in his ipsis, quae communia videntur. Narrat illa, narrat haec, sed aliter; huic pleraque humilia et sordida et ex medio petita, illi omnia recondita, splendida, excelsa conveniunt, hanc saepius ossa, musculi, nervi, illam tori quidam et quasi iubae decent, haec vel maxime vi, amaritudine, instantia, illa tractu et suavitate atque etiam dulcedine placet. Postremo alia verba, alius sonus, alia constructio. Nam plurimum refert, ut Thucydides ait, κτῆμα sit an ἀγώνισμα, quorum alterum oratio alterum historia est.“ Quae anno fere 105 a Plinio scripta sunt, cum Agricolam et Germaniam et dialogum et primos historiarum libros in manibus habuisset et plurimas Taciti orationes vel audivisset vel etiam legisset. Alia igitur verba, alium sonum, aliam constructionem in historicis libris atque in orationibus illius fuisse verisimillimum est. Et optime ea quadrant ad memorabilem illam Quintiliani de

historia doctrinam (Inst. orat. X, 1, 31), ubi plerasque historiae virtutes oratori esse vitandas scribit: „Est enim proxima poetis historia et quodam modo carmen solutum et verbis remotioribus et liberioribus figuris narrandi taedium evitat.“ Nonne igitur illa aetate rerum scriptor tanquam poeta exstitit? Nonne ut omnes, qui et carmina et prosae orationis libros scripserunt, uno eodemque tempore diversissimo genere dicendi uti potuit? Quid mirum, quod dialogum quoque Tacitus in orationum non in historiarum modum composuit aliaque verba, alium sonum, aliam constructionem atque in historicis libris captavit? Ac fuisse tum, qui vel in eodem opusculo diverse scriberent, Plinius ipse auctor est (Epp. II, 5, 25 sq.). „Adnisi certe sumus, inquit, ut quamlibet diversa genera lectorum per plures dicendi species teneremus ac sicut veremur, ne quibusdam pars aliqua secundum suam cuiusque naturam non probetur, ita videmur posse confidere, ut universitatem omnibus varietas ipsa commendet“ (cf. VI, 33, 8; VIII, 21, 4, alibi). Ita Tacitum quoque diversis generibus dicendi diversa lectorum genera tenuisse censeo ita, ut orationibus, dialogo, similibus libellis (cf. Fulgentius exposit. sermon. antiq. p. 782 St.) Plinio, Justo Fabio, omnibus denique, quibus cum Cicerone aemulatio esset, placeret, libris autem historicis eis probari conaretur, qui Senecam poetasque secuti concinnitatem virilem cultum oratori non esse arbitrarentur (cf. Seneca Epp. 115, 2) quique ut Aper, sui saeculi eloquentia contenti, poeticum decorem ab scriptore exigerent. Quam quidem eloquentiae discordiam Traiani temporibus fuisse et Plinii epistulae et Taciti dialogus disertissime testantur (cf. Plin. epp. I, 5, 11; II, 5, 25; II, 19, 6; III, 18, 10; IX, 26 saepius).

Gravissime autem errant, qui postulent, ut similem Tacitus ubique sermonis vultum ideo praestet, quod Ciceronis et adulescentis et senis eadem fere elocutio appareat. Obliviscuntur enim amplius centum quinquaginta annis post Ciceronem eum et paucis lustris ante Frontonianos vixisse, ut mirum non sit, quod Frontonis quam Ciceronis similior videatur. Differt Tacitus a Frontone, quod modo ex Cicerone et Quintiliano modo ex Sallustio, Vergilio, argenteae Latinitatis poetis verba deligit, Fronto ex Plauto, Ennio, Catone, Gracchis, Lucretio aliisque vetustissimis scriptoribus antiquitatem redolentibus structuras obsoletas excerpit, sed eo congruunt, quod uterque omnino ex imitatione pendet. Atque perversa et priorum rhetorum et aequalium de imitatione et verborum delectu doctrina adductum esse Tacitum puto, ut uno eodemque tempore diverso genere dicendi florere studeret.



Hopf'sche Buchdruckerei, Spandau.